QVÆSTIO MEDICA

QVODLIBETARIIS CONCERTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS, XX. MENS. NOV. MAGISTRO IOANNE DE RENOV, MEDICO REGIO, MODERATORE.

An ex partium temperie virium robur?

VT OMNE creatum optimum, ſic viuentia cuncta perfecta, viuúntque calore; etiam frigidiora. Dilectiſſimus naturæ rerum matris filius, perfectiſſimus, & temperatiſſimus eſt; inſaluberrimus tamen & μικροβιότατοι: Nam intemperata temperatis ſæpe, nonnunquam & hæc illis diutiùs viuunt. Animantia maiora paruis, ſanguinea exanguibus, perfecta inſectis magis longæua, ac vtilia. Aliis optima temperies calidior; aliis frigidiſſima. Aequè benè viuit Salamandra cum ſuo natiuo gelu, atque Cantharis cum ſua latẽte pruna. Hæc vegetior, quo calidior; illa, quo frigidior; vtraque non tam ad ornatũ mundi quam hominis vſum creata; cui proſunt & obſunt ſerpẽtes, ex quorũ familia fœmellæ viuaciores & morſu magis formidabiles. Omnium caput præ cæteris partibus venenoſum, vt in fele cerebrum, in drachone marino ſpina dorſalis, qui ſecum gerit alimentum & lethum, & apicula mel & fel. Vt diſſidet animantium caput ſtructura, temperie, ſic ſitu, brutis pronum, niſi οὐρανοσκόπῳ piſci; homini ſublime & ad ſydera conuerſum, ac loco ſitum editiſſimo; In quo mens compoſitionis neſcia, ac diuinæ ſapientiæ imitatrix, & filia, regiam arcem habens, ſubiectis partibus diuerſam temperiem ſortitis imperat; quæ non ſyndeſmo tantum ſed vnione formæ faciunt vnum; pro cuius tutela mutuo conſpirant ſimul, ipſiúſque conſeruationem concupiſcunt.

CEREBRVM viſcerum nobiliſſimum, medullæ ſpinalis atque neruorum origo, ſenſus & motus fons, licet non ſentiat, nec eo motu quem aliis partibus impertit, moueatur; Natura ſua frigidum eſt, calidiore tamen ſanguine nutritum, nec partis cuiuſpiam refrigerandæ gratia ſtructum, ſed vt ſpiritus animales generaret: & internorum ſpirituum, facultatúmque principum functiones ederet, quibus dum corpus non illuſtratur, quid niſi truncus inanimis? Cerebro cerebellum adeſt, videtúrque vtrumque vnum, craſſæ meningis duplicaturâ ex omni parte non diſcretum, ſed obuallatum, atque infinitis gyris & meandris rationi prorſus inutilibus deſcriptum ac figuratum. Ventriculos ſeu ſinus quatuor habet, cæteris partibus ſanctiores; non quod peculiare ſint rationis domicilium, in tota quæ cerebri ſubſtantia hoſpitatur, ſed quod in illis tanquam in matrice fiat ſpirituum animalium generatio: ad quam non tantum illorum amplitudo, proba conformatio, materiæ copia plexus retiformis textura mirabilis, ſed etiam optima temperies requiritur, quâ pars omnis deſtituta ſuas imperfectè functiones obit.

SOL corporis primò lucens, & vltimò extinctus cor, natiui caloris focus, & nectaris viuifici ſcaturigo, vitæ beneficium de quo priùs gaudet intermediis arteriis, quarum eſt ῥίζωσις, ad ſingulas corporis partes quas regit, omnes defert, illiſque vitalia duo primordia pro ſua fœlicitate aut inopia, largitur, nihilque denegat membris de ſuo penu; qui cum ferax eſt omnia in nobis viuaciſſima & vberrimè vegeta. Pueris plurimus eſt calor & humor inſitus, plurimum quoque appetunt ipſi, cito coquunt, creſcunt, fiúntque omnia perbellè. Valde ſenibus vtriuſque paupertas; vnde vultus pallor, artuum tremor, virium languor, tandémque fati neceſſitas. Medio modo ſe habent medio æuo conſtituti: quôuis tamen ſi contigerit cor feruidius, aut frigidius, aut oppoſitis qualitatibus intemperatius, nec benè ſibi, nec ſuis ſubditis res eunt: Nam calidiori ſæpe deeſt præpotens & incolume ventilabrum; nec frigidiori ſemper adeſt cœli facies æſtiua, aut luculentus ignis. Quam bene regit, & maieſtatis ſuæ muniat obit, cum nec nimis vdum, aut aridum, vel non impensè calet, aut alget.

VENTRICVLVS taberna gulæ & famis ſedes, non tantùm vt olla cibos capit, ſed famelicus rapit, amplectitur, alterat, elixat, fruitur; cuius errorem in coquendo cæteræ coctiones dolent, nec delent. Fauet illi viſcerum vtrinque aſtantium vicinia, quæ vt titiones accenſi elixationem iuuant & accelerant. Calidius tamen jecur non modo facit bilis prouentum, ſed ventriculum turbat, & ſæpe frigidiorem reddit; item & cerebrum; vnde morborum ἰλιάς. Multò calidior ventriculus paulò frigidiori præſtat; nam coctio fit à calore: cuius tamen intenſione minus quam peculiari dote ſtruthiocamelus ferrum abſumit, volatilia multa lapillos, coturnices elleborum, ſturni cicutam, vrſa formicas. Quæ habentur in deliciis minus moleſta ſunt, vt virgunculis & grauidis calx, lutum, carbones, & abſurda ſimilia; quibus non confectis, afficitur & inficitur tota naturæ œconomia. Facilè coquit muſcam aranea, araneam lacertus, lacertum anas, anatem homo; cui & aranea venenum; perinde ac ſupra receſſum bis binum intemperata, aut moderatiora immoderatè ſumpta.

ALIMENTORVM author & officina jecur, parenchyma primæuum, tuber venarum radicationi idoneum, & regia naturalis potentiæ ſedes, ac reliquarum facultatum ſi non fundamentum ſaltem fomentum, liberalis principis inſtar corporis vniuerſitatem alit; & cui nunquam deeſt quin ſibi prius deſit. Incolume cæterarum partium incolumitati fauet, temperatum maxime arridet, ac lætam facit naturæ familiam; eo namque benè habito & hæc melius habet; marceſcente, marceſcit. Atque vt frigidior aut calidior vterus vix concipit; hic namque ſemen adurit, ille extinguit, ſic teſtium, à quibus ſexus diſcretio, maior intemperies generationi reluctatur. Hæc etenim ſæpius conceptionem impedit, quàm illaudata matricis conformatio. Viſæ ſunt mulieres benè natam quæ prolem ſuſceperunt, vtero ab affectu vicino, vel coarctato, aut variè diſiecto: quæque in ipſius tuba conceperit viſa eſt. Reliquorum membrorum δυσκρασία, vt morboſa, ſic actionibus ſemper officit: εὐκρασία nunquam non prodeſt; & quò quæque partes temperatiores, eò magis ſanæ & vegetiores.



Ergo ex partium temperie virium robur.

Aſſerebat Lutetiæ MICHAEL BOMMER, *Cœnomanus, Scholæ Archidiaconus, anno R. S.* M. DC. XIV.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Ioannes Pietre.
M. Ioannes Couſin
M. Hieronimus Golu. Prof. Reg.

M. Syphorianus Hautin.
M. Henricus Blacuod.
M. Gabriel Biart.

M. Ioannes Hautin. Med. Reg.
M. Henricus Blacuod.
M. Nicolaus Elain.